



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus I. Vanitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Credite fratres, quàm diu in his moribus Ecclesia vixerit, frustrà bellatur in Turcas: prius contra mores, quàm hostes, pugnam dum. Corrigamus ergo vitam, & adhæreamus Deo; & ipse pugnabit pro nobis. S. Thom. Vill. l. 1. D. 2. Quadr.

Non est, fratres, cur Turcarum ferocitatem timeamus nos, quibus Deus præsidio est, qui illis est contrarius. Alium Turcam ego magis timeo, qui intrà nos latet; peccatum scilicet, ingratitude, aversionem. *Si populus meus audisset me &c. pro nihilo forstian &c.* Pl. 80. 14. Idem f. in Rogat.

V.

TITULUS I.
VANITAS

§. I.

Figura, Symbola, definitio.
Ex Veteri.

Dormivitq, Salomon cum Patribus suis. 3. Reg. 11. 43. Jam ante proclamârat Salomon totiq; Mundo concionatus: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas!* & tamen vanitas, vanâque species mulierum, eum in senio dementavit, vanumq; reddidit; ut se ipsum fecerit summum vanitatis spectaculum: evanuit enim ejus sapientia, sanctitas, felicitas, gloria, sanitas, vita, utinam non æterna! Quid est homo etiam sapientissimus, ditissimus potentissimus; si DEUM deserat, & à DEO deferatur? non est aliud, quàm mancipium vanitatis, imago stultitiæ, præda mortis, ærumnarum abythus. O si Salomoni liceret ad vitam redire; qualem ageret poenitentiam, qualem institueret vitam, quid mortalibus inelamaret? utiq; illud Salvii ad mortem revocati apud Greg. Turon. l. 7. hist. c. 1. audite filij Adæ, & intelligite: quia nihil est, quod cernitis in hoc Mundo, sed omnia vanitas. Omnia ergo, ut vana, contemnit; ut veram gloriam Dei mereamini adipisci in cælo. Cornelius hic.

Utsuequo parvuli diligitis insantiam? Prov. 1. 22. id est, sæculi vanitatem. *Et stulticia, que sibi sunt noxia, cupiunt;* id est, temporalia: quia sunt ignis, & gladius: quæ duo pueri libenter tenent; donec comburantur, aut jactantur. Hugo Card. hic.

Hedera Jona 4. 6. Symbolum est vanitatis Mundi, omnisque rei, & spei, mundanæ. De hac enim hedera in Hebr. v. 10. hic dicitur: *Filia noctis erat, & filia noctis perivit;* id est, unâ nocte nata est, unâ etiam nocte perit. Annon filia noctis est honor, delicia, divitiæ; quæ unâ nocte obveniunt; unâ nocte durant. Cornelius hic.

Ex Novo.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua &c. Matth. 21. 8. O quàm dissimile est, tolle! tolle! crucifige eum! & benedictus, qui venit &c. Quàm dissimile, Rex Israel; & non habemus regem, nisi Casarem. Quàm dissimiles rami virentes, & crux; flo-
Rosanthæ Sacra. Tom. II.

res, & spinæ. Cui prius sternebantur vestes alienæ; ecce suis exiit. S. Bernardus f. de País. Dom.

Facta est nubes. Luc. 9. 34. En, quod felicitas recidat! en, quomodo apparatus ille majestatis evanuerit! en ut sol genarum mutetur in nubem! Ita ut plurimum serenitas potentie nubilò excipietur; & fortuna agnatum secum trahit nimbum lacrymarum. Soli nubes succedunt, splendor umbrâ funestatur, rutilantia indumenta tandem intumbrantur. Oliva l. 13. Strom.

Nec Salomon in omni gloria &c. Luc. 12. 27. *Si autem sanum &c.* Præfertur lilii gloria gloriæ Salomonis: cum tamen Rex iste omnes majestatis splendores superavit; & flos ille tantum unò die in aquo resplendet. Aded humana gloria brevis est; ut longum spatium fuerit dies. Naxera in Jos. 1. §. 39.

Ex Patribus, & aliis.

Sicut videri nequit in rota, quæ continuo versatur, aliqua pars ejus; eò quod crebrâ circumferentiâ semper summa fiant ima; & ima summa: ita etiam nostrarum rerum impetus, dum continuo vertuntur, summa facit infima. Ut videre licet in divitiis, potentis, & aliis. S. Chrysost. tom. 1. de nomine Abram.

Umbræ, & rotæ; & tristia, & læta, hujus vitæ tempora: nam, quemadmodum umbra, non manent; & ut rota, vertuntur. S. Nilus in parænesi.

Res nostræ velut orbe quòdam volvuntur: aliàs sæpe unò, eodemque, die, atq; etiam interdum horâ, mutationes advehente. S. Gregor. Naz. de paup. amor.

Heu! cuncta paulatim, etiam præclara, pereunt! pereunt, ut exigua supersint reliquæ. Velut solo vexato à magnis imbribus aliis supersunt avectis silices modò. Idem. Poemate de vita sua. Quidquid in hoc sæculo magnum videtur, umbra, vel somnia, deputanda sunt. Aponius l. 6.

Theophrastes docet, chameleontem ex rorè vivere, & sæpe deprehensum, muscas comedere. Atque hinc fortè orta vulgi opinio, eum ex aere vivere. Symbolum eorum, qui ventò honoris, & muscis deliciarum, se pascunt. Quàm multi Christiani stolidiores Domitiano! qui, cum salutem suam æternam pro-

rare debeant, quotidie, non duabus, sed omnibus horis, captant muscas. Ambis opes? muscam ambis. Ambis sponfam divitem, & speciosam? muscam ambis &c. Cornelius in Levit. 11. 30.

S. Petrus Clementem docebat, Mundum hunc esse demum fumò plenam. Clemens Rom. in ep.

Pontifex primum triplici tiarâ coronatus cani sibi audit: Pater Sancte! sic transit gloriaMundi; stupâ simul accensâ. Nieremb. in discrim. temp. & ætern. c. 3. Fluvius fortiter in omne resistens impingit, omnia frangit; sed dum ad mare redit, penitus nomen perdit; Sic & homo potens &c. sed, dum venit ad mortem, superbiâ nomen perdit. Geminiani. l. 1. c. 36.

Alphonsus Arrag. Rex, in Symbolo dicitur habuisse coronam, in cujus ambitu hæc inscriptio: *Artifex cudit, Deus ludit, imponendo, deponendo.* In fronte coronæ pomum erat Smaragdinum cum Lem. *estate prodor: autumnò probor: hyeme per dor.* Manus tenens in filo orbis globum cum Lem. *Tenui prudentia filò.*

Joannes Dux Clivæ cum Lem. *Hodie ali- quid, cras nihil.*

Horologium lunare, vel solare. Lem: *Labor omnis in umbra.* Picinelli.

§. II.

*Vanitatem spernendi motiva.
Ex Veteri, & Novo.*

Stirvit anima mea ad Deum vivum. Pl. 41. 3. Propemodum suadens, & vociferans omnibus, qui rebus hujus vitæ inhiant: quid in corpora infantis? quid corpora amatis? quid gloriam desideratis? quid concupiscitis voluptatem? nihil eorum manet, & vivit perpetuò; sed diffuit, & præterit; & est umbrâ vanius, & somnis fallacius. Incerta est eorum possessio, instabilis eorum usus, & fructio; velox est mutatio. In DEO autem nihil est ejusmodi; sed vivit, & manet perpetuò. Caducis ergo, & momentaneis, relictis, eum, qui est æternus & perpetuus, amemus. S. Chrysost. hic. Calcare terram, nihil aliud est, quàm simulachra non adorare; quia de tera ficta sunt. Item divitias non concupiscere, voluptates corporis spernere: qui opes, & corpus ipsum, cujus hospitiò utimur, terra est. Vivum colite, ut vivatis. Moritur enim necesse est; qui se, suamque animam, mortuis adjudicavit Lactantius l. 2. instit.

Verba Ecclesiastæ. Ecclæ. 1. 1. Decernit Ecclesiastes, & ostendit, quæcunque in hoc Mundo sunt, vanitatem esse: non quòd omnia damnet, atque accuset; verùm potiùs consilia hominum reprehendit, qui in hoc Mundo spem suam collocasse videntur. Olympiodorus hic in Præfat. Nota: creaturas in se veras quidem, & bonas, esse; sed, si cum Deo creatore comparentur, vanas, & umbras meas, esse. Itè non damnantur hic creaturæ DEI; sed pravus affectus, usus, & cupiditas

hominum, amantium media pro fine &c. Cornelius hic.

Vanitas vanitatum. Ib. S. August. l. de quantitate animæ c. 33., & de vera Relig. c. 31. 33 & alibi legit: *vanitas vanitatum*, id est, vanitati servientium: sunt enim facti, sicut ea, quæ dilexerunt, Aquila, Symmach. vertunt: *vapor vaporum, & omnia vapor.* Syrus: *inanitas inanitatum, & omnia in- antitas.* Alii: *nihilum, nihil; & omnia nihil.* Vanitas ergo opponitur rei velut umbra; res enim, putâ corpus, est ipsa vanitas; cujus vanitas est ejus umbra. Quare sicut umbra sequitur suum corpus, sic creatura sequatur suum Creatorem; nè evanescat, & ideo in nihilum abeat. Omnis enim res creata in fieri, esse, & conservari, pender à Deo, sicut radius à Sole. Quare, sicut sole se subducente radius evanescit: sic Deò manum; id est, operationem, & conservationem, suam subducente, res creata redit in suum nihilum. Cornelius hic. Vanus, ait Servius, vocatur stultus; qui mente vacuus, qui in rebus inanibus studium collocat. Vanitas ergo multa significat, Nam vanitas primò est inanitas, secundò brevitatis, tertio mutabilitatis, quarto interitus, quinto mendacium, sexto fraus & fallacia. Omnia in Mundo sublunari summè inania, brevia, mutabilia, corruptibilia, mendacia, falsa, & fallacia. Ex adverso in cælo apud Deum omnia sunt solida, longa, immutabilia, incorruptibilia, vera, & fidelia. Idem hic.

Quid habet amplius homo de universo labore suo? ib. 3. Aliqui tò *amplius* referunt ad laborem. q. d. quid in labore suo amplius habet homo subaudi: quàm ipsum laborem? q. d. ex labore suo nihil acquirit homo, nisi laborem; indeque desolationem, dolores, & cruciatus. Vel tò *amplius* accipias pro mercede. q. d. ex omni labore quid mercedis refert homo? utiq; exiguum, vel nihil. Cornelius hic.

Vanitas vanitatum. Hoc dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in viis, in fenestris, in januis; sed potissimum in ipsa cujusque conscientia, continenter inscriptum esse oportet, omnique tempore cogitationi obversari. S. Chrysost. hom. Adv. Eutropium.

In momento. Luc. 4. 5. humana omnia à dæmone exposita: ut tumultuariò aspectu Christus taperetur. Non si singula attentius, & accuratius, spectaremus; sperneremus; Irâ facere solent mercatores, si eorum merces corrupta; acervatim, & festinanter, ementibus proponunt; nè fortè maculas deprehendant, & abscedant. Equidem qui in momento solum temporis epulonis *byssum, & purpuram.* Luc. 16. 19. intueretur, profectò, vel patrimonii jacturâ, eam felicitatem emeret. At, si diutius eam spectaret, videret clarè vermes ex ea nasci immortales, ostrum flammæ emittere, sitim per aureos calices diviti propinatam; dolores ex deliciis, supplicia pullulare; ambitiosius plagas emens mendici, quàm byssum epulantis. Oliva l. 13. Strom. cap. 4. hic.

Ex

Ex Patribus, & aliis.

Qui in Christo est, quomodo potest vanitates aspicere? cum Christus in carne sua omnes Mundi hujus crucifixerit vanitates. S. Ambrosius Octo. 5. in Pl. 118. avertit oculos meos.

Vanitas rerum humanarum est hæres: quoniam ipsius est distractio, & occupatio, varia. S. Ephrem. de poenit.

Si agonizans plumam levem ori impositam non mover, signum est mortis. Cum vanitates spernuntur, signum est, hominem adhuc in divina gratia vivere. Diez Humilitas.

Plus sapientia, & scientia, inveniet simplex idiota in vita Christi, ad hujus Mundi vanitates spernendas, ejusque dolos cognoscendos; quam vel subtilissimus disputator in totius Mundi machina consideranda. Stella de contemptu &c. p. 1. c. 3.

TITULUS II. VENDITIO CHRISTI.

§. I.

Figura, Symbola.

Vendiderunt Joseph viginti argenteis. Gen. 37. 28. Origenes, August., & Beda: vendiderunt Joseph triginta argenteis. Joseph quidem à fratribus venditus; sed ne moreretur: Filius autem hominis tradetur, ut crucifigatur. In servum venundatus est Joseph Psal. 104. 17. Ut servaretur: Servi à servando. Verè non est dolor, sicut dolor Christi. Segneri die Ven. S.

Appendiderunt mercedem meam triginta argenteis &c. Zach. 11. 12.

Hostia in modum denarii cum imagine Christi, seu literarum Nominis Christi: quia traditus est; & venditus, triginta argenteis; & est verus denarius laborantibus in vinea Domini. Matth. 20. 2. Gavantus p. 2. tit. 7.

§. II.

Quàm vili estimatus.

Si bos corrupta triginta scilos &c. Exod. 21. 29. 32. Tanti, nec plus omnino, quanti vile mancipium, estimatus est Dominus dominorum: in quo sunt omnes divitiæ; omnesque thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, Incerto Auth.

Caput ejus aurum optimum &c. Cant. 5. 11. En! tantus triginta emptus est argenteis.

Quid vultis mihi dare? Matth. 26. 15. Judas non postulat certam summam; sed, quasi vile tradens mancipium, in potestate eminentium posuit. S. Hieron. hic. Quando aliquis vult vendere rem, quam diligit, imponit ei pretium. Sed quando habet rem, de qua vult se liberare, dicit: date mihi, quod placet.

At illi constituerunt ei triginta argenteos. Matth. 26. 15. Tanti enim erat valoris unguentum pretiosum: cujus pretio in tantum doluit se frustratum; ut, desiderio recuperandi illud, venderet Jesum. O infelix Juda! quam parvi pretii fuit Filius Dei in anima tua! nec mirum; quia avarus fuisti, Dion. Carth. hic.

O Juda proditor! unguentum Passionis ejus trecentis denariis aestimas; & Passionem ejus triginta denariis vendis? dives in aestimatione, vilis in scelere. S. Ambros. l. 3. de Spir. S. c. 18.

Emitur tot argenteis, quot annis peregrinatus est in hoc Mundo usque ad Baptismum. S. Paschasius in Matth. 26. q. d. tam vili aestimatus est pretio, ut nec pro singulo quodque pretiosissima suæ ætatis anno vel unum argenteum persolverint.

§. III.

Venditionis causa, finis.

Constituerunt ei triginta argenteos. Matth. 26. 15. Judas Filium Dei pro triginta scilis argenteis vendidit; in recompensationem damni, quod incurerat, propter effusionem unguenti. Quilibet autem argenteus valebat decem denarios usuales; & ita damnum unguenti, quod valuerat trecentis denariis, triginta recompensavit argenteis. Ad designandam ergo pretii quantitatem, quò Christus est venditus, Sacerdos facit tres cruces communiter super Oblata, & Calicem, cum dicit: benedictam, ascriptam, ratam: nam & trecenta pariter; & triginta; multiplicationem suscipiunt à ternario. Innocentius III. P. de S. Alt. myst. l. 3. c. 12.

Infelix Judas! damnum, quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult Magistri pretio compensare. S. Hieron. in Matth. 26.

Accepit aurum, perdidit Deum. S. Chrysost. f. 3. de Resurr.

Ex consilio venditur: ut nos, sub peccato venditos, suâ venditione emat. S. Gregor. Nyss. tr. 2. de inscript. Psalmor. c. 8.

Traditus est pro denariis inimico, nè tu tradaris pro denariis diabolo. S. Bonaventura f. 2. D. Quinqu.

Nos ille vult pretiosos facere sui muneris vilitate. Ipse nobis hac pietate pretiosior, quod se vili vult estimari; ut ab omnibus ematur. S. Paulinus ep. 4.